Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 595
Quelle:
Copyright:

tum aurei Velleris Collegium cooptati, quod Scutum totius folii ſpatium occupans etiam *pag.* 1. comparet. *Pag.* 2. in elegantiſſimo florulento ſchemate litera aurea quadrata legitur: *In hoc Volumine continentur Comentaria Athanaſii in Epiſtolas Sancti Pauli traducta a Chriſtophoro de Perſona Romano Priore Sancte Balbinę de Urbe ad Sixtum. IIII. Pont. Max. Fol. ſeq.* eadem litera exorditur: *Sancti Athanaſii in Primam Epiſtolam Sancti Pauli ad Romanos Prologus incipit.* Epiſtolae ordine in Bibliis noſtris uſitato ſeſe excipiunt. Ad calcem haec viſitur rubrica: *Liber Athanaſii ſupra epiſtolas ſancti Pauli a F. Criſtoforo priori ſancte Balbine de urbe traductus feliciter explicit.* Tempus traductionis hujus deſumi poteſt ex epiphonemate, quod *Udalricus Han* civis wiennenſis et primus Romae typographus Commentariorum noſtrorum editioni principi M. CCCC. LXXVII. f. ſubdidit, quod ſic incipit: *F. Criſtoforus de perſona Romanus Prior ſancte Balbinę de Vrbe: Traduxit Anno domini M. CCCC. LXIX. Pontificatu Pauli pontificis maximi. Anno quinto.* Quae verba, uti *Maittairio* anſam ſiniſtre dedere editionem principem ad hunc annum M. CCCC. LXIX. retrahendi, ita conjecturam juvant, Codicem noſtrum non multo poſt hunc annum exaratum fuiſſe. Eſt vero jam tempus, ut genuinum Operis noſtri autorem prodamus. *Theophylactus* is eſt *Achridis Bulgariae Archiepiſcopus*, ſcriptor Sec. XII. in concinnandis iis, quae in ſacras literas elucubravit, plurimum Johanne Chryſoſtomo uſus. Adi de illo *J. Fr. Bern. Mariae de Rubeis* viri e Praedicatorum familia doctiſſimi *Diſſertationem* Opp. omnium *Theophylacti Venetiis* M. DCC. LIV. f. praeambulam, cujus §. XI. vides *Eraſmum Roterod.* Germaniae lumen, *Joh. Fabrum* Praeſulem Vindob. et *Joh. Beraldum* primos in veri Commentariorum noſtrorum autoris notitiam penetraſſe. Interpretem noſtrum *Perſonam*, quibusdam et *Porſenam*, de quo fuſe agit *Giornale de' Letterati* T. XIX. *Venet.* 1714. p. 325. paraphraſi potius uſum, quam adſtricta Verſione ibidem docetur. Itaque traductionem illius *Joh.* primum *Lonicerus*, dein *Philip. Montanus* ad graeca exemplaria exegerunt, ut fidem faciunt Editiones *Pariſina* 1542. f. et *Baſileenſis* 1554. f. Codex noſter ex Dynaſtarum Bergenſium poſſeſſione ad Epiſcopum *Joh. Fabrum* demigravit. Teſtatur id Schediaſma thecae anteriori intus adglutinatum typis *Vindob.* anno 1540. excuſum, quo egregius ille Paſtor ait: Hunc librum a ſe non ea pecunia, quae ex cenſibus Epiſcopatus provenit, ſed ea, quam ex honeſtiſſimis ſuis laboribus accepit, emtum et ſuo pauperum Adolenſcentum ad *D. Nicolaum* Collegio donatum fuiſſe.

CXCV.